

gulis autem gradibus respondeant quaterna minuta horaria, uti enim se habent 24.H. ad 360. o. sic 1.H. se habet ad 15. o. & ut 15.o. sunt ad unam horam sive 60./ .horaria, sic 1.o. ad 4./ .horaria. Hoc est singulis horis per Meridianum transeunt 15.o. Æqu. Meridianus quippe pro termino motûs hujus hypothetici (cum naturale per se motûs circularis initium nullum sit) præ ipso Horizonte Astronomis placuit ob ascensionum doctrinam & æquationem temporis, in Meridiano enim sidera eodem se modo ad Æquatorem habent, non autem in Horizonte, qui semper pro diversa elevatione Æquatoris variatur & hallucinationum variarum causa esse potest.

§. II. Dies primi mobilis & Solis seu secundi mobilis, quâ quantitatem non conveniunt, ille enim præcisè 24. horarum (cujusmodi etiam revolutio est stellarum à Meridiano ad eundem Meridianum motu proprio nihil importante) At dies solaris præterea 4. / . circiter. Cum enim motu proprio, ut dicemus, unum proximè gradum versus ortum conficiat unius diei spacio, fit ut revoluto Æquatoris puncto, in quo is hesternò meridie erat, hodiè ab eodem meridiano absit per illam particulam motu proprio confectam. Hinc fit ut diebus solaribus 365. quibus annus communis absolvitur, revolutiones 366. Æquatoris peractæ sint, ac totidem dies primi mobilis ac fermè sideri. Unde duplex tabella, una pro die primi mobilis, altera pro die Solis, quam vid. ap. Ricciol. Imò & ipsi dies solares inæquales sunt sive comparentur cum diebus ejusdem anni, sive cum diebus diversorum annorum; quam tamen inæqualitatem nec ipsa horologia solaria manifestant satis, sed subtilitas Mathematica detexit, quæ quamvis altiori indagine opus habeat atq; adeò sphericæ tractationis non sit, nihilominus placet hîc repetere, quæ Ricciol. Tom. 1. Almag. l. 3. c. 21. habet. Causam nempe primam esse inæqualitatem motus Solis in Ecliptica, cum Sol tardissimè circa Apogæum velocissimè ad Perigæum moveatur, atque adeò æqualia spacia æqualibus temporibus in Ecl. non absolvat. Deinde causa est motus Apogei Solis, ob quem longiores dies anni civiles & Tropici acquirunt. Hinc quando in mundi exordio Apogæum Solis fuit in princ. V. & Perig. in princ. 2. vernus dies brevissimus, intellige naturalem, autumnalis

B

lis